Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1923
Quelle:
Copyright:



Alterius:

*Hortt zw Inn diesem gottes Hauſs.*
*Ich tail euch heint das abblaſs aus* &c.

Precationes tres vernaculae ad Deum Patrem, Filium et Spiritum S. pro vera, ut dicitur, Ecclesia his ultimis periculosis et tristibus temporibus.

Epistola, ut videtur, αὐτογραφος Ministrorum *Ratisbonensium* ad *Ambergenses* germanice data die *Sim. et Judae Apostt.* 1553. qua illos ab Erroribus *Interimisticis* et *Adiaphoristicis* dehortantur. Decretum enim illud in favorem Papae datum, Ecclesiam non posse simul esse Sponsam Christi et Antichristi; se ipsos aliquo etiam tempore Hypocritas egisse, sed resipuisse &c. Praecipue monent, ne patiantur Suos, dum funera comitantur, impiarum se cerimoniarum participes reddere.

Demum Rhythmi quidam pii, Fragmentum de Observantia Diei Dominicae, et Precationes e Psalmis depromtae.

CCCCXCI.

587 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 7. 4. est Sermo Theologi Protestantis in die Innocentum, inscriptus: *Vonn denn vnnschuldigenn Kindlein zw Bethlehem. Matth. 2. Jerem. 31. Psal. 8. Marc. 10.* Init: *Lasset die Kindlein zu mir kommenn, dann sollicher ist das Himmelreich. Wie ist es denn Kindlein zu Bettlehem ganngen. Do die Weisenn aus Morgenlandt genn Jerusalem kamendt* &c. Disquiritur hic: quare hi Infantes adpellentur Innocentes? Quid ex eorum Historia discendum? Quomodo agenda festa eorum memoria? Quomodo Matres adhortari debeant Proles suas ad omnia pro Deo toleranda. *Job. Mathesium* autorem suspicor aut aliquem e primis in *Austria* Pastoribus Lutheranis.

CCCCXCII.

Codex chartaceus lat. Sec. 919
XVI. Folior. 103. 4. non una manu exaratus, passimque refectus, correctus et inculcatus, est *Catalogus Testium Veritatis, qui ante nostram aetatem reclamarunt Papae*, compilatus a *Mathia Francovich* dicto *Flacio* et a Patria *Albona Istriae Illyrico*, editusque primum *Basileae per Joh. Oporinum*, ut frons, *per Mich. Mart. Stellam* vero 1556. 8. ut calx praefert, dein *Argentinae* 1562. f. cum *Appendice*, quae tamen sub finem *Basileae ex Officina Joannis Oporini* 1562. prodivisse dicitur. In Monito huic *Appendici* praefixo *Catalogus* ipse hac editione *Argent.* amplius quam tertia parte a Collectore ipsius auctus fertur. Ampliorem insuper reddidit *Sim. Gulardi* industria